

hii perpetui, ne mercatores inter se conveniant de non emendis, aut vendendis mercibus, nisi constituto ab ipsis pretio. Tales enim monopolæ nedum peccant graviter contra charitatem, sed etiam contra justitiam cum onere restitutionis, quia quando sic conveniunt monopolæ, & comunt omnia frumenta v. g. in urbem invecta, sicut privant alios emendi facultate, ut ipsimet carius pro suo libito postea vendant, violentiam, adeoque injuriam faciunt communitati, seu republicæ: Sic Angelus, Sylvester, Navarr. uterque, alique cum Layman lib. 3. tract. 4. num. 17. num. 41. Sporer l. c. n. 103. La Croix l. c. num. 946. Henno tom. 2. tract. 2. disp. 7. quest. 5. conclus. 4. & alii.

De his, qui emere possunt vel non possunt, neutquam agit Auctor hoc in articulo, quamvis agere debuisset. Regula tamen juris est, quod emere possunt non prohibiti. Videndum igitur equi num emere prohibeantur.

Tutor in auctione publica pupilli emere potest l. 5. Cod. de contrah. empt. uti & a Contutore, si bona fide negotium gerat l. 5. §. 2. ff. de auct. tutor. non vero clam, nec per interpositam personam, nec mala fide, quibus tamen in casibus si pupilli major factus emptioem comprobaverit, ea valetet dicta leg. 5. §. 2. 3. & 4. ff. de auctoritate tutor.

Quæ de tutoribus cauta, ea quoque in curatoribus, procuratoribus, executoribus testamentariis, aliisque similibus, qui aliena egerunt negotia, procedere debent leg. 34. §. ult. ff. de contrah. emptioem.

Economis in universum vetita est emptio rerum ad ecclesiam pertinentium. Auctem. Cujuscumque Cod. de Sacrosancti. Eccles. At moribus idem in his, quod in tutoribus servari monet Groenevergen ad l. 5. in fine Cod. de contrahend. empti.

Reges Catholici, cum semper maxima sollicitudine ab eorum visceribus inabdicabili suorum vassallorum felicitati prospexerint; D. D. Carolus III. ejus prædecessorum insequens vestigia, incrementumque agriculturæ anxie desiderans, leges de pretio Tritici, ac aliarum specierum loquentes abrogando, secularibus omnibus libertatem eas emendi, & in horreis per istos destinatis intercludendi, concessit: insuper inter alia præcipiendo prædicta loca publica esse futura, subventionique subjecta populorum (1): omnesque in hoc commercio agere volentes, sub catalogo solemnitatibus præscriptis comprehendendi debere (2). His animadversis ne quisquam injustè operari, monopoliumque committere, qui in Hispania ad sum libitum, eo, quod voluerit, pretio talia semina vendiderit, affirmabit.

(1) L. 15. tit. 25. lib. 5. Rec. El infatigable desvelo con que por todos medios me dedico constantemente a procurar á mis pueblos, y vassallos la mas permanente felicidad, me ha hecho comprehendere que la variedad de los tiempos, y la diferente calidad de los terrenos de mis Reynos, no pueden permitir que subsista sin agravio de los labradores, y cosecheros la tasa perpetua, y general de los granos que fija su precio hasta los años mas esteriles, en que las expensas, y gastos precisos del cultivo exceden del valor de la tasa, de que resulta la decadencia de la agricultura: Para ocurrir á estos graves inconvenientes que cada dia impiden mas la abundancia del reyno, y debilitan la importancia de la agricultura, he acordado no solo fomentar con mis auxilios la condicion de los labradores, sino tambien conciliar en lo posible sus utilidades con la abundancia, y beneficio que exige la causa pública; con este objeto digno de mi atencion, mandé al Consejo que examinase seriamente este asunto, y me consultase su dictamen: y en su consecuencia mando: 1. Que desde la publicacion de esta Pragmatica no se observe en estos mis reynos la tasa de granos y demas semillas, no obstante las leyes que la prescriben. 2. Quiero que sea libre su venta, y compra, para que asi en los años esteriles, como en los abundantes, sea igual, y reciproca la condicion de los vendedores y compradores:.

(2) Reg. Sched. 20. August. 1768. Sabed que habiendose experimentado la inobservancia de lo prevenido en alguno de los capitulos de la real pragmática de once de Julio del año pasado de mil setecientos sesenta y cinco, en que procurando á mis vassallos su mayor felicidad mandé abolir la tasa de granos, y estableci el libre comercio de ellos, con las declaraciones contenidas

Milites emere prohibentur prædia ea in Provincia, in qua militant, exceptis paternis à Fisco distractis, L. 9. de re militar.

Magistratus, tum eorum domesticis ac ministris per se, vel interpositam personam, sive palam, sive clam in provincia illa, cui præsent, interdicitum est emere. Idque, quia emptio per ipsos facta non tam à libera venditorum voluntate profecta, quam metu potentie & auctoritatis extorta crederetur, & magis emptio, quam emptio esset: in eos, qui contra fecerint constituta pena quadrupli, tum amissionis rei emptæ, si emerint ex officio, nimirum si emerint dum ipsi officio suo fungentes eam vendiderunt, aut vendi jusserunt, atque ita ipsi essent emptores, ac venditores leg. 46. ff. de contrahend. empt. Excipit tamen & hic prædia paterna, uti & res ad victum pertinentes leg. 62. ff. de contrahend. Judic.

Nemo emere domum potest eum in finem, ut destruat, constituta dupli fisco inferendi pena, ita tamen, ut venditor emptori solventi fisco duplum, acceptum pretium reddere teneatur. Leg. 52. ff. de contrahend. emptioem. Fit hinc ut inspecto effectu emptor, & venditor duplo singuli mulctentur.

Hæc de his, qui emere possunt, vel non possunt. Nunc illud displicendum, an emptor propria auctoritate possessionem rei emptæ apprehendere possit, & ei permissa ipsa sit in emptioem instrumentum? Negans opinio arripit & jure meritoque Doctissimo Leyser in mediis, ad Pandect. special. 207. §. 3. & dub. sequent. Permissio enim apprehensionis possessionis in instrumento facta, secundum leges, quibus contraheutes semper se conformasse censentur, de legitima apprehensionis possessione, qua voluntate Vendoris, aut Judicis causa cognita consentientis fiat, explicanda est. Idque verum adeo

en real provision expedida por el mi Consejo en treinta de Octubre del mismo año, la qual tampoco se ha observado religiosamente, como correspondia: y conviniendo proveer de competente remedio, para atajar, y contener todo abuso: Visto, y examinado por los del mi Consejo, teniendo presente lo expuesto por el mi Fiscal; por auto que proveyeron en diez y nueve de este mes, (entre otras cosas) se acordó expedir esta mi cedula: Por la qual os mando que inmediatamente de como la recibais, hagais publicar en vuestros respectivos territorios, y pueblos, que dentro del preciso termino de ocho dias los que hayan de ser, 6 sean comerciantes en granos, presenten al Corregidor, cabeza de partido, sus libros, para que se folien, y rubriquen por el Escribano de aquel ayuntamiento, sin llevar derechos, y el propio Escribano formarà asiento, ó lista de los comerciantes matriculados del partido; pena de que pasado el termino de los ocho dias, sin haberlo cumplido, se les declararán por decomiso los granos que se les hallaren acopiados de su cuenta, orden, ó comision; y mando se apliquen la mitad para el denunciador, y la otra mitad para el Juez que los sentencie, sin que por esta providencia se haga novedad, ni impida á los tragineros, panaderos, y pueblos el libre surtimiento del comun; y de haberlo executado dareis cuenta vos dichos Corregidores, y Justicias al mi Consejo; y os prevengo no permitais poner cedula alguna de los granos para comprarlos, y á los que las pusiesen les impondreis la pena de un mes preciso de carcel, sin distincion alguna de clases, ni personas, y las costas; dando cuenta tambien al mi Consejo la Justicia, que hubiere procedido, de haberlo executado. Que así es mi voluntad.

adeo est, ut, si alia fuerit contrahentium mens, atque sic privatam vim indulgere voluerint, sit pactum tantum juri publico, bonis moribus, & ordini contrarium. Confer Strak. de Cautel. Contract. sect. 2. cap. 1. §. 26. (Vid. adnot. art. 3. in fin. num. 15.)

ARTICULUS III.

Quoad ea, quæ concernunt venditorem.

SUMMARIUM.

- 1. QUANDO venditor ob dilatam solutionem plus justo pretio potest vendere: que cause ad plus vendendum, & supra justum pretium, ad num. 13.
2. Utrum vitium rei vendita manifestari debeat: excessus an detur, merces infimo pretio vendita, sed non integro pondere ac mensura: quando potest admitti species majoris & extraordinaria bonitatis, ad n. 28.
3. Quid observandum si timetur, pretium brevi minuendum: que custodienda, si alicui res emenda, aut vendenda committitur: propter rei indigentiam in emptore pretium non est augendum, ad num. 36.
4. Qui in fraudem creditorum vendit, an peccet, etiamque vendens cariori pretio ob falsas literas de submeritis navibus, ad num. 43.
5. Quomodo delinquat qui per mendacium ad emendum majore pretio inducit: an teneatur ad restitutionem quid pro quo malitiose vendens, & de pharmacopola agitur: quod pretium possit conveniri cum eo, qui speciem servare intendebat, ad num. 52.
6. Non licet res vendibiles alterare, ut plus ponderis, seu mensura reperiri: retrovendendi conventio sustinetur, si propter hanc pretium potest minui, & an contractus mobarum locum habeat, ad n. 56.
7. Novissime addit. ex aliena manu inseruntur, ad n. 63.

VENDITOR ob solam dilatam solutionem, seu vendendo credito sine justo titulo, nequit rem vendere plus justo pretio, id est supra pretium summum: Sic communis Doctorem textu expresso in cap. Consuluit 10. de usuris, ubi ad interrogationem: An negotiator pona consimili (usuræ) debeat condemnari, qui merces suas longe majore pretio distrabit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogatur, quam si ei incontinenti pretium persolvatur? respondet summus Pontifex Urbanus III. Verum quia quid in his casibus tenendum sit, ex evangelio manifeste cognoscitur, in quo dicitur, Date mutuum, nihil inde sperantes, hujusmodi homines pro intentione lucri quam habent, cum omni usura, & superabundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt male agere, & ad ea, que taliter sunt accepta restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi. Idem statuit Concilium Mediolanense primum 2. part. tit. 68. de usuris, ibi: Ne quis rem aliquam ob dilatam solutionem carius vendat justo pretio; & Concilium Burdigalense tit. de usuris ibi: Ne quis ob dilatam solutionem diem carius vendat, quam justis pretii ratio ferat. Dicitur autem notanter sine justo titulo, quia si in venditione credito facta, interveniat aliquis justus titulus, v. g. periculum, vel difficultas pretii postea recuperandi, lucrum cessans, aut damnum emergens, potest venditor rem plus vendere juxta proportionem incommodi, periculi, aut damni, vel hujusmodi; Sic Molina disp. 356. Castropalao de justitia commutativa disp. 5. punct. 12. n. 6. Less. l. c. n. 21. dub. 6. n. 54. Medina de rest. q. 38. caus. 3. & 4. Reiffenstuel l. cap. num. 151. Sporer l. c. num. 31. Henno tom. 2. tract. 2. disp. 7. quest. 4. concl. 1. Diana p. 1. tom. 8. resol. 57. La Croix l. c. d. n. 943. Valentina, Sa, Moya cum communiori, & probabiliori eorum, quibus etiam favet S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 4. ad 2. & opusc. 73. c. 10. arg. c. In Civitate 6. 7. de usuris. (Vid. D. Anton. Gomez tom. 2. cap. 5. num. 4. vers. Quarto infero:.)

Ut autem liceat venditori supra summum pretium

vendere plus ad creditum ratione lucri cessantis, notant passim Doctores requiri sequentes conditiones. 1. Ut venditor, seu mercator fuisset revera venditurus mercem alteri numerata pecunia, nisi vendidisset huic credito; quia alias si non vendidisset numerata pecunia, non habuisset jam pecuniam, qua negotiandum potuisset aliquid lucrari, & sic nullum ei lucrum cessasset; unde passim delinquent mercatores, qui indifferenter, quibusvis vendunt carius credito, etiam cum pauci, vel nulli sunt, qui emissent numerata pecunia. 2. Ut propter hoc quod ad creditum vendat, non ideo habeat plures emptores, alioquin sic compensaretur damnus suum. 3. Ut revera illa pecunia statim soluta fuisset negotiaturus ante tempus, quo solveret, aliter si mansura erat otiosa, jam non ideo cessat mercator lucrum, quia ad creditum vendidit. 4. Ut de lucro exigendo minuatur, seu detrahatur, quod ratione expensarum, & periculum arbitrio boni viri in ea negotiatione fuisset expensurus. 5. Ut mercator de suo lucro cessante admoveat emptorem, maxime cum credit, aut suspicatur, quod nollet emptor incommodum lucri cessantis subire; unde ipso non monito non potest ei res supra summum pretium vendi ratione solius lucri cessantis in venditore ex sola dilata solutione emptoris. Quæ conditiones sunt attente consideranda, & observanda à mercatoribus vendentibus res credito plus ratione solius lucri cessantis.

Ratione autem periculi perendi pretium, vel ex toto, vel ex parte, posse mercatores plus vendere ad creditum, docent cum aliis Diana p. 1. t. 8. resol. 57. Less. l. 2. c. 25. num. 33. alique viginti apud Moyam l. 1. t. 6. quest. ult. num. 6. Item posse mercatores plus vendere ad creditum ratione difficultatum, molestiarum, & expensarum, quæ probabiliter timentur, seu solent accidere in exigendo postea pretio, docent cum communi S. Thomas opusc. 73. num. 10. Sotus, Bannes, Prado, Moya l. c. n. 7. alique teste Claudio La Croix l. c. num. 945. Absque illo titulo licitum est vendere plus ad creditum solum intra fines justis pretii, id est usque ad summum pretium; & quamvis mercator easdem specificè merces soleat numerata pecunia vendere pretio medio, vel etiam infimo, potest ipsas ad creditum vendere pretio summo; et ratio est, quia nunquam quis tenetur per se loquendo vendere infra summum pretium justum, cum venditio usque ad summum justum pretium etiam numerata pecunia sit justa in utroque foro ex dictis in articulo primo num. 14. ergo multo magis erit justa usque ad summum justum pretium venditio ad creditum, quæ solet habere multa pericula, & incommoda adjuncta: Sic communis Doctorem teste Azorio lib. 8. c. 8. §. In primis constat.

Supra summum autem justum pretium potest res plus vendi generaliter loquendo vel varias causas. Primo, ratione damni emergentis, si nempe venditor ex eo quod rem suam emptori vendat, damnus emergat, non secuturum si eandem servaret; Communis, argum. capit. Precariz 4. §. 3. caus. 10. q. 2. juncta l. Hoc jure 19. §. 1. ff. de donat. Secundo ratione lucri cessantis; Communis arg. cit. cap. Precariz & cap. Naviganti 19. de usuris, juncta l. 21. §. 3. ff. de action. empt. dummodo tamen concurrant conditiones assignatæ sub num. 3. Tertio ratione penuriz, seu raritatis mercium; Communis arg. c. Legimus 24. dist. 93. ibi: Omne, quod rarum est, plus appetitur, ac pretiosius est. Quarto ratione multitudinis emptorum; existentibus enim, & concurrentibus multis emptoribus, merces communiter plus aestimatur, quæ communis aestimatio pretium justificat; Communis arg. leg. Pretia rerum 63. ad l. Falcidiam. Quinto, ratione specialis ad rem affectus venditoris, causantis eidem honestam oblectationem; Communis, Sexto, ratione periculi faciendi expensas in exigendo postea pretio; Communis. Septimo ratione periculi perendi pretium sive ex toto, sive ex parte; Communis.

Circumstantia illa de speciali venditoris affectu ad rem assignatur etiam ut sufficiens ad carius vendendum à Reiffenstuel theologic. moral. pag. 201. n. 193. quia venditor in gratiam emptoris se spoliat re illa, quam

valde diligit ipsique est valde utilis, & pretiosa. Eadem pariter approbat circumstantiam Antoine, pag. 139. col. 1. 4.

14 Venditor interrogatus ab emptore de certo vitio rei vendendae, tenetur illud ei manifestare; aliter si fraudulenter negat, vel dolosa aequivocatione celat vitium, venditio est illicita, & iniqua, & tenetur de omni damno, argum. cap. Sedes 15. de rescriptis. ibi: Quia fraus, & dolus ei patrocinari non debent; cap. Ex tenore 16. eodem titulo, ibi: Quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent; cap. Tuus 12. de Clericis non resident. ibi: Cum fraus, & dolus nemini debeat patrocinium impartiri; cap. Ex literis 2. de dolo, & contum. ibi: Nos attendentes, malitiam, & dolam nulli patrocinari debere; leg. Cum hi ff. de transact. ibi: Non debet via aperiri malitiae, leg. Si Legatarius, C. de legatis, ibi: Ut non accipiat fructus suae caliditatis, leg. Labeo 13. ff. de actionibus empti, & venditi, ibi: Si vero sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quae ex ea emptione emptor traxerit, praestantur ei. (Vid. art. praeced. numer. 23. lit. A. pag. 111.)

15 numer. 88.) Si autem venditor non interrogetur de vitio rei, potest licite ipsam vendere cum vitio occulto, dummodo vendat minori pretio proportionato rei vitio. Id ipsum quoque docet Antoine tract. de contract. q. 15. Respons. 3. Cum ipso tamen est observandum, quod si venditor probabiliter iudicat rem illam se esse venditurum tanto pretio quanto si careret defectu, seu vitio, tenetur ei aperire defectum, saltem post contractum, quia hoc ipso quod rem suam venalem exponit cum occulto vitio, tenetur ex officio sui lege cavere ex parte sua, ne quis inde aliquod damnum patiatur, alias occasionem praebet inferendi proximo damnum. Et sic res adhuc utilis emptori iuxta proportionem pretii: Sic D. Thomas quodlib. 2. art. 10. in corp. ibi: Si ergo vitium rei vendita non faciat rem minus valere, quam pretium impositum, quia forte venditor minus pretium imponit propter vitium, tunc non peccat tacens vitium, quia venditio non est iniusta, & forte esset sibi damnosum, si vitium diceret, quia emptor vellet habere rem etiam minori pretio, quam voleret, & sic Doctores passim. Nec tenetur venditor indicare vitium rei manifeste patens, textu expresso in leg. Ea quae 43. §. 1. ff. de contrahend. empti. ibi: Si quis hominem luminibus efforsis emat, & de sanitate stipuletur... de cetera parte corporis potius stipulatus videtur, quam de eo, in quo seipse deceperat, & sic habet communis Doctorum cum S. Thoma 2. 2. quest. 77. art. 3. in corp. ubi sic expresse dicit: Si vero vitium sit manifestum, puta si equus sit monoculus, vel cum usus rei, etsi non competat venditori, potest tamen conveniens esse aliter, & si ipse propter huiusmodi vitium subtrahat, quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei, quia forte propter huiusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum: unde potest licite venditor indemnitate sua consulere vitium rei reticendo. Tenetur tamen venditor tale vitium manifeste patens indicare, si adverteret emptorem esse tam rudem, & imperitum, ut nequidem vitium manifeste patens agnosceret, quia respectu talis vitium censeretur occultum; Sic communis Doctorum cum Molina disp. 353. num. 17. Layman loc. cit. §. 2. num. 14. Petr. Navarr. de restit. cap. 2. dub. 7. num. 54. Silvio in 2. 2. quest. 77. art. 3. conclus. 4.

18 Venditor tenetur manifestare vitium, seu defectum rei in substantia, v. g. indicare emptori esse aurichalcum, quod credit esse verum, aurum esse vitrum quod putat esse gemmam, & huiusmodi: aliter nedum venditio est illicita, sed etiam invalida: quia ubi est error, seu defectus in substantia, deest consensus, qui est de essentia venditionis, emptio, textu expresso in leg. In venditionibus, & emptioibus consentum debere intercedere palam est; & quod talis emptio, & venditio sit invalida, & nulla, habetur clare ex eadem citata leg. In venditionibus, ibi: Si igitur ego me fundum emere, ut putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti, quia in corpore discernimus (seu erravimus) emptio nulla est. (Vid. verb. Canonizatus, art. 4. num. 16. verb. Ignorantia, cum leg. 20. §. 21. tit. 5. p. 5.) Et sic Doctores omnes. Venditor tene-

tur manifestare vitium etiam circa qualitatem rei, quando causat damnum, & reddit mercem inutilem ad finem ementis: Sic communis Doctorum; arg. leg. Labeo 1. §. Proinde ff. de Aedil. editio, ibi: Proinde si quid tale fuerit vitium, sive morbi, quod usum, ministeriumque impediatur, id debet redditioni locum. Non tenetur tamen venditor manifestare vitium rei, si ita sit modicum, ut eo non obstante adhuc res sit aequa, aut ferme aequa utilis ad finem ementis; Sic Doctores communiter arg. cit. leg. Labeo 1. Proinde ff. de Aedil. editio, ibi: Non utique quodlibet quam levissimum efficere, ut morbosus, vitiosusve habeatur; Proinde lovis fabricula, aut vetus tartana, quae tamen jam sperni potest, vel vulnusculum modicum, nullum habeat in se delictum, contenti enim haec poterunt. Venditor tenetur manifestare vitium occultum etiam in quantitate; id est si emptor putet mercem majorem in pondere, numero, & mensura, tenetur venditor ei manifestare, quod sit minor, aliter manifesta committeretur fraus, & iniustitia cum onere restitutionis totius damni; Est communissima.

(Antecedens doctrina ex leg. 64. §. 65. & 66. tit. 5. p. 5. confirmatio meretur: in prima de servo fure vendito, seu alio vitio laborante agitur: si istud sciens venditor quilibet, contractus rescinditur, pretiumque, ac interesse restituendum: si ignorans, quanto minus in valore sive aestimatione fuerit, debet restitui; ceterum, ne lectura iteretur, in reliquis dispositum omittitur referre; vid. seq. art. ubi ex num. 7. ad 22. Auctoris doctrina eisdem decisionibus convenit.)

Venditor, qui ad alliciendos frequentiores emptores vendit merces pretio infimo, sed occulte non tradit integrum pondus, & mensuram, partem sibi reservando ad compensandum velut sibi debitum pretium, quo ab aliis mercatoribus venditur, peccat graviter, & tenetur restitueret tum emptoribus, quia non stat contractui, & pacto inito cum illis tradendo integro pondere, & numero, & mensura: tum aliis mercatoribus, qui ius habent, ut emptores pro talem fraudem a suis officinis non abstrahantur; Molina disp. 315. Sporer loc. cit. num. 75. Turrian. disp. 57. dub. 6. Lugo disp. 27. num. 135. La Croix lib. 3. part. 2. num. 954. & alii passim. Possunt tamen venditores occulte tantum diminueret de pondere, numero, & mensura mercium, quantum requiritur ad complendum justum pretium in casu, quo vel pretium a magistratu, vel a deputatis sit iniuste taxatum, vel emptores inique conveniant, quod nonnisi certo minus justo pretio vulgari merces emere velint; & ratio est, quia nulli sit iniuria, cum, uti supponitur, servetur aequalitas inter mercem, & pretium, & mercatores possunt juste suae consulere indemnitate sine damno alterius; Molina disp. 353. Layman tract. 4. cap. 17. num. 15. Lugo disp. 26. num. 125. Sporer loc. cit. num. 76. Reiffenstuel loc. cit. num. 182. Sotus Tolet. Valent. Rebell. apud Tamburini lib. 8. cap. 7. §. 11. num. 5. & alii passim.

Venditores habentes mercem v. g. triticum extraordinariae bonitatis, & majoris, quam illud, quod communi, vel taxato pretio venditur, possunt licite admiscere aliquid inferioris materiae, quousque reddatur aequale tritico communi pretio ab aliis in foro vendi solito. Res enim notabiliter, & manifeste melior alia jure meretur majus pretium, quod cum venditores obtinere non possint, iuste tali admixtione compensant; salvo tamen semper quod exinde sit apta ad usum, & finem, pro quo emitur; Molina disp. 353. Less. capit. 21. dub. 11. Diana part. 1. tract. 8. resol. 51. Layman lib. 3. cap. 17. num. 15. Lopez part. 2. intrud. cap. 42. Sporer loco citato num. 88. & alii passim.

Venditor vini valde prestantis, sui generosi potest ipsi admiscere vinum vilius, ut ad commune foro vinum accedat, & ipsum vendere pretio communi; Omnes. Sic etiam si venditor vini nequit consequi justum ejus pretium, vel ex quo sit iniuste taxatum, vel ex quo emptores ob suam iniquitatem nolint justo pretio emere, potest ipsi infundere modicam aquam ad se reddendum indennem, dummodo nullum damnum sequatur emptoribus, uti sequeretur, si essent conservaturi illud vinum ad longum tempus, cum vinum aqua dilutum facilius

acescat, & tandem non conservetur; Layman loc. cit. num. 15. Sporer loc. cit. num. 81. & alii passim. Item si emptores abhorraent a vino nimis meraco, vel rigido emendo, ut nisi aqua aliquantulum temperetur, non appareat emptoribus ejus praestantia, & justus valor, & ideo venditor cogatur minoris pretio vendere, vel omnino repellatur; tunc potest venditor aliquantulum aquae ipsi infundere ad reddendum ipsius tenuius, & suavius, & se reddendum indennem, dummodo emptoribus nullum omnino sequatur damnum, & dummodo venditor tantum minuatur de pretio vini, quantum auget de admixtione aquae: & ratio est, quia venditor non potest vendere majorem quantitatem vini, quam habeat, ut de se patet; majorem autem quantitatem, quam habeat, venderet si quantum auget de aqua, non minuatur de pretio vini, quia vendens decem v. g. urnas, quibus una aqua admixta est, si nonnisi novem vini urnas vendit, unam vero aquae, adeoque committit inequalitatem inter datum & acceptum. Nec valet dicere, vinum valde meracum, & rigidum admixtione modicae aquae fieri suavius, & quandoque melius; Non valet, inquam, quia haec ars reddendi suavius, seu melius vinum per admixtionem aquae est notissima etiam emptori, qui potest ipse aquam vino admiscere, si temperari expediat: unde non est cogendus ad emendam aquam pro vino: Sic Rebellus de contractibus lib. 9. quest. 19. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 17. num. 15. Sporer loc. cit. num. 81. & alii passim cum S. Antonino 2. part. tit. 1. cap. 17. §. 4. ubi sic concludit: Debent tamen venditores in huiusmodi casibus minus vendere, quam si esset purum, aliter venderent aquam pro vino.

Venditor sciens scientia privata pretium mercis brevi minuendum esse, potest licite vendere pretio currenti, nihil indicando emptori, quia pretium currentis adhuc est justum. Communis. Vid. art. antecedent. ad num. 16. ad 18. Deputatus ad aliquam rem vendendam certo, & determinato pretio, si pretium solummodo determinatur, ne minoris vendatur, non potest sibi retinere aliquid, si majori pretio vendat; Communis. Potest tamen sibi retinere, si dominus rei ita determinavit pretium, ut nihil aliud desideret, quam tale pretium, relinquens deputato si quid majoris obtinuerit ab emptore; Communis. Non possunt autem sibi aliquid retinere famuli, & famulae, quibus a dominis indeterminate pretio traditur res vendenda meliori modo, quo possunt in utilitatem ipsorum dominorum; Communis. Regulariter loquendo, quando aliter non constat de voluntate domini, quilibet deputatus ad vendendam rem determinato pretio v. g. pro decem, si ei contingat vendere pro duodecim, non potest tuta conscientia retinere illa duo; Vid. art. antecedent. ad n. 39. ad 41. Venditor non potest plus justo augere pretium mercis solum ex eo, quod videat emptorem valde indigere illa, aut valde affici erga illam, quia indigentia illa, vel affectus non est res vendentis, nec merci intinseca, sed est res ementis; unde injustissimum est ob illam solum indigentiam, vel specialem ad talem rem affectum ementis, plus justo pretio exigere; Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 4. num. 31. Filicuc. tract. 35. num. 77. Sporer loco citato num. 25. & alii passim.

Venditor pro re valde rara, & peregrina, probabilis, non potest repetere ab emptore quodcumque sibi arbitrarium, & excessivum pretium, sed solum illud, quod peritorum arbitrio spectatis omnibus circumstantiis industriae, raritatis, pretiositatis, pulchritudinis, periculi, laboris &c. justum censetur; quia pretia debent commensurari valori rationabili rerum; leg. Pretia rerum 63. ff. Ad leg. Falcidiam; (Leg. 65. in fin. tit. 4. p. 1. §. 20. tit. 5. part. 5.) Sic Cajetan. Navarr. Molina, Rebell. Less. Salas. Castropal. dist. 5. pund. 3. Henno tom. 2. tract. 2. quest. 6. Petr. 7. Lugo tom. 2. disp. 27. num. 47. Burghes. Cent. 2. caus. 58. La Croix loc. cit. num. 941. & alii. Est tamen probabilius etiam contraria sententia, quod scilicet venditor pro gemmis extraordinariis, picturis antiquis, avibus Indici, aliisque animalibus, & rebus valde raris, & peregrinis valeat licite accipere quantum vult, & potest, quia talia valde rara, & peregrina, nec legitimum, nec vulgare pretium habent, quia cum non

sint necessaria usibus humanis, non veniunt in commercium, aut taxationem communem. Unde venditor potest pro ipsis repetere pretium sibi arbitrarium quantumvis excessivum; & de facto apud Japonos, & alias incultas, & remotissimas nationes pro vilissima re peregrina saepe accipitur maximum pretium; sicuti in dies videmus vendi maximo pretio res raras, & peregrinas etiam minoris momenti, quae a remotissimis nationibus ad nos deferuntur; Sic Sotus, Medin. Ledesma. Solon. Valentia, Sa, Petr. Navarr. Bauny: & alii cum Sporer tom. 2. tract. 6. cap. 5. num. 25. Cum enim in his nulla necessitas cogat emptorem, judicatur se donare excessum supra pretium vulgare.

Vendens in fraudem creditorum, quibus re vendita sit incapax solvendi, quod debet, peccat graviter, & tenetur quantum potest ad restitutionem; quia fraus & dolus nemini debent patrocinium impartiri per jura tum civilia, tum canonica adducta supra num. 14. Et quantumvis talis fraudulenta venditio, si sit facta ignorantia fraudem, remaneat valida, tamen si sit facta scienti fraudem, rescindi potest a creditoribus etiam non restituito pretio ipsi emptori; l. Si debitor, l. Si a debitore. ff. qui in fraudem creditorum facta sunt. Si autem creditores intra annum, quo repetendi potestas est, non repetant rem in suum damnum a debitore fraudulenter venditam, tunc emptor remanet secutus in foro externo, l. 1. & l. ait Praetor 10. ff. cod. In foro tamen interno, seu conscientiae emptor sciens fraudem venditoris non remanet securus; quia cum sciat venditionem fieri fraudulenter cum injusto damno creditorum, videtur cooperare ad talem injustam venditionem consentiendo, & acceptando: unde ratione talis cooperationis ad fraudem, non remanet tutus in conscientia, arg. cit. Jur. supra n. 14. Ita S. Antonin. part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 18. Paludan. in 4. d. 13. quest. 2. art. 5. ad finem. Cajetan. in opuscul. de usuris quest. 4. Cordub. lib. 1. qq. quest. 39. p. 3. d. d. 3. Navar. cap. 17. num. 271. Layman loc. cit. n. 30. Sporer loc. cit. n. 88. & alii. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui dicunt, talem emptorem remanere tutum etiam in conscientia; Sic Petrus Navarr. leg. 3. cap. 4. numer. 218. Molina tom. 2. disp. 328. Lessius l. 2. cap. 20. num. 168. quam sententiam probabilem affirmant Layman, & Sporer locis citatis. (Consonant leg. 7. §. 8. & 11. tit. 15. p. 5. q. 4. tit. 2. p. 7.)

Antequam sententiam, quam probabilem adfirmant Layman, & Sporer, amplectatur Confessarius, conferat auctoritatem S. Antonini, & Cajetani cum auctoritate Molinae, & Lessii, atque insuper illorum, ac istorum expendat rationes.

Venditor fingens literas de submersis navibus, quae merces advehebant, vel spargens falsum rumorem de penuria, & caritate mercium in aliis proximis regionibus, vel de proxima obsidione urbis, & de aliis similibus, quae solent pretium mercium valde augere, si ob talem fraudem vendat carius, quam venderet suas merces, peccat graviter, & tenetur ad restitutionem; arg. cit. Jur. supra num. 14. Castropal. disp. 5. part. 35. Layman loc. cit. num. 995. Rebell. & alii passim. Unde generaliter omnis venditor, qui fraude, aut mandato inducit emptorem ad emendum majore pretio, quam empturus esset, quamvis pretium, quod tradit, adhuc fuerit intra limites justipretii, ratione suae fraudis, seu consimiliter malitiosi mendacii graviter peccat, & tenetur ad restitutionem; arg. toties cit. Jur. supra num. 14. Sic Castropalao loc. cit. La Croix loc. cit. & habetur expresse in l. Julianus 13. ff. de action. empti & venditi, ibi: Si venditor dolo fuerit, ut rem pluris venderet, empti cum iudicio tenentur, ut praestet quanto pluris servum emisit. Rebell. & alii. Si tamen venditor, vel mercator solum dicat, aut etiam juret, mercem sibi pluris constare, se pluris vendidisse aliis, & huiusmodi, quamvis emptor sic inducatur ad dandum majus pretium, quam non daret, non obligatur ad restitutionem, si sistat intra limites justipretii, quia licet peccet venditor, seu mercator sic mentiens, aut jurans, tamen quia omnibus notum est, talia solere communiter dici a venditoribus, & mercatoribus, quamvis vera non sint, debet sibi imputare emptor, qui ipsis

eredit; Sic Bebell. Castropalao, la Croix loc. cit. num. 956. & alii. (Ad rem vid. verb. Assecutor, in addit. novis.)

45 Vendens quid pro quo malitiose, v. g. aurichalcum pro vero auro, & hujusmodi, peccat graviter, & tenetur ad restitutionem: Communis. Vendens quid pro quo æque utile ad finem emptoris, ut sæpe solet accidere in pharmacopola, qui ne cogatur fateri non habere certum pretium medicamentum, & sic minus frequentetur sua officina, dat unum medicamentum pro alio, tunc si tale aliud medicamentum sit æque utile infirmo, & ejusdem virtutis, ac petitur, & præscriptum à Medico, non peccat saltem graviter, nec tenetur ad ullam restitutionem, si tale aliud datum medicamentum non sit inferioris pretii seu valoris, ac præscriptum, quia tunc emens probabiliter non est invitus graviter, cum damnus & periculum omne absit; Sic Tolerus, Valentia, Ledesma, Lopez, Henriquez, Sotus, Salonijs, Bannes, Emmanuel, Vega; & alii, quos affert, & sequitur Salas dubio 35. num. 1. Tambur. lib. 8. decal. cap. 7. §. 11. n. 8. & 9.

47 Si tamen Pharmacopola prævideat, vel metuat tale aliud medicamentum graviter periculosum, & damnosum fore, vel esse posse infirmo; graviter peccabit dando unum pro alio, & tenetur ad restitutionem omnium damnorum; sic communis Doctores. Unde caveant pharmacopola ab hujusmodi prava praxi dandi quid pro quo infirmis cum tor eorum gravissimis periculis, & damnis; serio reflectant, quod pro conscientia tenentur tradere infirmis medicamenta, ut sunt à Medicis præscripta, & aliter faciendo, non ut debent, infirmorum salutem consulant, & utinam sæpiissime non nocerent, cum tale aliud medicamentum sibi visum non absimile à præscripto sit sæpe sæpius, & possit esse reipsa, & virtute distimile, cum nimio periculo, & damno infirmorum, qui si id scirent certe talia medicamenta non sumerent. (Leg. 21. tit. 5. part. 5. Vid. 7. 8. & 9. tit. 16. part. 7. & verb. Falsum.)

48 Venditor habens frumentum venale (& sic dices de alijs mercibus) & sit illud revera servaturus usque ad tempus, quo solet plus valere; potest licite nunc vendere majori pretio, quam actu valeat, si ab emptore rogetur, ut ipsi nunc vendat; desumitur ex cap. In civitate 6. & cap. Naviganti 19. de usuris, & tenent communiter Doctores cum S. Antonino 2. p. Summ. Theolog. l. 1. cap. 8. §. 1. ubi sic expresse dicit; Cum quis vendit mercem quascumque, lanam, linum, pannos, victualia, & hujusmodi certo pretio majori, quam sit illud, quo tunc valent, cum venditur, ex eo quod non intendat eas vendere, sed servare usque ad tempus, quo probabiliter aestimabat tantum valituras, vel plus quantum nunc vendit, sed ad instantiam alterius vendit; istud est etiam pretium justificationis, & licitum, ut expresse dicitur in cap. Civitate, de usuris. Sic etiam licite vendit pro pretio solvendo, quo valebit v. g. ultima hebdomada Maii, & prima Junii, quando solet valere; dummodo revera esset illud servaturus vendendum usque ad illud tempus; textu expresso in cap. Naviganti 19. de usuris, ibi: Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias mercem vendit, ut amplius, quam nunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen eo tempore contractus non fuerat venditurus. Et sic communis Doctores. Et dato quod pretium ultimæ hebdomadæ Maii contingat esse diversum à pretio primæ hebdomadæ Junii, tunc debet summi pretium medium, id est si pretium unius hebdomadæ erat 80. & alterius erat 70. pretium solvendi erit 75. Debet tamen ab hoc pretio deducere expensas, quas facturus erat venditor ad servandum triticum, vel alias mercem, usque ad tempus præfinitum venditionis; ut recte ex Angelo de Clavasio, Navarro, Petro Navarra, & Covarrubia notat Cabassutius juris Canon. theor. & praxi lib. 6. cap. 9. num. 13. ibi: Oportet, ut expensas deducat, quas facturus idem venditor fuerat ad servandum mercem suas usque ad præfinitum diem; ut est pretium condictionis horreorum, apothecarum, cellariorum... præterea estimationem computet diminutionis, deteriorationis, & periculi harum mercium, in id tempus reservandam; Cum enim venditor, aut creditor fiat ab his omnibus expensis, & damnis immunis, ex quo res istas

vendit, aut mutuavit; si ista non computaret, plus exigeret, quam sibi ex justitia deberetur, & ultra suam indemnitatem in illa anticipata pretii, aut mutui taxatione.

Venditor non potest licite vendere triticum de mense 52 Novembris summo pretio, quo venderet toto tempore internedii usque ad Novembrem sequentis anni; non enim servatur in hoc contractu æqualitas sortis, & periculum inter venditorem, & emptorem, & ideo merito fuit damnatus similis contractus ab Innocentio III. in cap. In civitate 6. & ab Urbano III. in cap. Consului 10. de usuris, & in Concilio Parisiensi VI. cap. 53. habito anno 829, in Mediolanensi I. habito anno 1565. & in Burgalensi habito anno 1583. Venditor graviter peccat, & tenetur ad restitutionem, si triticum aqua madefaciat, lanam & hujusmodi in loco humido reponat, ut plus ponderet, pannos, & hujusmodi ad majorem mensuram, vel pondus quam in se sint; dolosis artibus trahit; Sic communis Doctores arg. cap. Jur. sup. num. 14. Unde S. Antoninus 2. p. summ. theolog. tit. 1. cap. 17. §. 5. sic expresse habet: Lanifices, qui faciunt pannos trahere ad tracturum ultra debitum artis, unde postea madefacit, & ionus, ut moris est, retrahitur ad longè minorem mensuram, quam debet, fraudem facit, & S. Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 2. in corp. sic ait: Si quis scienter utatur deficienti mensura in vendendo, fraudem committit. Et est illicita venditio; unde dicitur Deuteronomii 25. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus, nec erit in domo tua modus major & minor... Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hec, & averatur omnem injuriam (Vid. verb. Falsum.)

Venditor potest licite vendere rem cum pacto retro- 54 vendendi, seu redimendi in futurum, l. 2. Cod. de pact. inter empt. & vendit. (Consonat lex 38. & 42. tit. 5. p. 5.) & communis Doctores cum Molina disp. 375. Less. lib. 2. cap. 21. dub. 14. Cardin. de Lugo tom. 2. disp. 26. sect. 13. §. 1. & patet ex Levitici 25. ubi præcipit dominus, ut omnes terræ populi Israel sub conditione redemptionis venderentur, tum ex censibus, qui venduntur cum pacto implicito redemptionis; Illo tamen casu res debet minoris vendi, eo quod imponatur onus emptori revendendi, quod est pretio aestimabile. Quantum vero dimini- 55 debeat de pretio propter tale onus revenditionis impositum emptori, aliqui dicunt esse fere tertiam partem, alii aliter. At rectius docent alii cum Molina disp. 375. num. 8. & Cardin. de Lugo loc. cit. num. 189. non posse certam regulam generale assignari; Minus enim diminuentum erit, si facultas redimendi ad breve tempus; plus, si facultas sit ad longius tempus; & adhuc plus, si facultas redimendi sit perpetua; unde relinquendum est arbitrio prudentum, qui attentis rerum circumstantiis, & regionum consuetudinibus, quantum sit de pretio minuendum propter tale onus revenditionis pronuncietur. Cavendum tamen, ne in similibus pactis revenditionis intercedat damnatus contractus pictus Mohatra, vel Baratra, Hispanice; Et Stocco, seu Stocola, aut Varacola Italice; Contractus hic intercedit, quando aliquis indigens pecunia præsentis, nec illam mutuo inveniens, emit credito à mercatore, seu venditore mercem pretio summo, v. g. 100. & 10. cum pacto revendendi ipsemet venditori pretio infimo, numerata pecunia, v. g. 100. ut sic per talem numeratam pecuniam provideat suis præsentis necessitati, cui non potest providere per tales mercem, quibus non indiget ad suum usum; hinc contractus, ut vides, est palliata usura, cum nihil aliud sit, quam mutare 100. cum obligatione restituendi postea 100. & 10. unde merito fuit damnata ab Innocentio XI. sequens propositio in ordine 40. Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem persone, & cum contractu retrovenditionis prævis intentione lucrifaciendi.

¶ Notabilis est differentia, que intercedit socium inter & fiscum circa venditionem rei communis. Socius tantum suam partem in re communi vendere valide potest. (Conducunt leg. 19. 32. 33. 36. 48. 49. 51. 53. 54. 55. tit. 5. part. 5. 7. & 9. tit. 10. lib. 3. For. Reg.) Quinimo si mala fide rem gesserit, & rem totam quasi in solidum dominus vendiderit, eademque sibi cum alio communem esse retulerit, quum species furti sit rem

rem alienam absque domini consensu alienare §. 2. versicul. unde in rebus mobilibus Institut. de Uruicap. aut actione furti conveniri potest L. 4. ff. de Rei vindic. L. 45. ff. Pro Socio, aut certe in stellionatum crimen incidit L. 26. §. 1. & L. 36. ff. de pignorat. actio. Confer Reiter de alienatione. part. 2. c. 2. sect. 2. num. 3. & plur. seq. (Vid. tit. 13. & 14. p. 7. tit. 13. lib. 4. For. Reg.)

60 At fisco ex privilegio rem sibi cum alio communem in solidum vendere permissum est; idque quia publice interest, ut res fiscales facilius inveniant emptorem. Debet tamen fisco pretium pro rata partis ad socium pertinentis, ei refundere. L. de C. de Commun. de rer. alienat. Voet in Commentar. ad Pandect. leg. 18. tit. 1. num. 14. Peregrin. de Jur. Fisc. lib. 6. tit. 4. num. 23.

63 Num christiani mercatores mercem ad Infideles licite transferre possint eas ipsi vendendi ergo? Affirmant de tempore pacis, nequaquam vero de tempore belli Trencin. variar. resolut. lib. 3. tit. de Verb. obligation. resolut. 3. num. 1. Molin. de Justit. & Jur. tom. 2. tract. 2. disp. 343. num. 9.

ARTICULUS IV.

Quoad ea quæ concernunt commodum, periculum, & retractum rei venditæ.

SUMMARIUM.

Commodum, & fructus rei venditæ, quando perfecta vel contracta consummato evenit, ad quem pertineat que pacta inter utramque contrahentem sunt observanda, tam circa resata quam diversa, ad num. 8.

9 Rei venditæ periculum ad quem pertinet, & casus excepti recensentur, ad num. 19.

20 Si res venditæ mensuratur, aut in pondere consistat, cujus periculum: casus numerantur, ad num. 25.

26 Retractus gentilitius quid sit; sub eo que res veniant qui retrahere possunt & quid dum plures concurrunt, ad num. 40.

41 An peccet rem quis fingens centum emere, ut quamvis minoris fuerit à retractu consanguinei intererant, ad num. 42.

43 Novissima additio, ex aliena manerunt, ad num. 51.

Commodum, & fructus rei venditæ post traditionem pertinent ad emptorem. Per traditionem enim emptor evadit dominus rei emptæ; leg. Traditionibus 20. Cod. de pactis, etiamsi pretium nondum sit solutum, modo cautio fidejussoria, aut pignoratitia ab emptore præstita fuerit, aut venditor fidem habeat emptori rem eidem credito vendendo, §. 41. Institut. de rerum div. (Leg. 46. tit. 28. p. 3. Ad rem lex 22. & 23. tit. 5. p. 5.) Res autem domino suo fructificat, sicuti ipsi perit, leg. Lectos 12. leg. Quod si neque 14. ff. de periculo, & modo rei venditæ; Est communis, & certum. Fructus rei venditæ adhuc pendentes tempore contractus venditionis etiam ante traditionem pertinent ad emptorem, sive sint maturi, sive immaturi; leg. Julianus 13. §. 10. & 18. de action. empt. leg. Fructus 13. & leg. Post perfectam 16. Cod. de action. empt. leg. final. §. Fructus, ff. Que in fraudem Creditoris. Et ratio clara est, quia fructus pendentes censentur pars fundi, vel rei fructifera; l. Fructus 44. de rei vindicatione, adeoque uno indivisibili pretio simul cum fundo, seu re fructifera venduntur, nisi aliter sit in contractu conventum, quia in tali casu standum esset conventioni ex Reg. 85. Juris in 6. ibi: Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur; Est communis, ac certa. (Consonat insertum pag. 110. num. 83. in fin. add. hisp. novis. lex 38. tit. 5. p. 5.)

Immo nedum fructus pendentes, seu extantes tempore contractus venditionis, sed etiam fructus nati, & producti post celebrationem, & absolutum contractum, pertinent jure emptoris ad emptorem; etiamsi res nondum tradita sit; nec cautio fidejussoria, aut pignoratitia præ-

stita, nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit; Sic Silvester verb. Usura 2. q. 11. Petrus Navarr. lib. 4. cap. 2. n. 148. Palao de just. commut. disp. 5. punct. 26. n. 4. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 13. num. 109. Rosella verb. Usura numer. 47. Armilla eodem verb. n. 15. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 17. num. 18. Lopez de contractib. cap. 36. ad 1. Reiffensuel lib. 3. Decret. tit. 17. num. 232. Sporet loc. cit. numer. 94. S. Antoninus, Gabriel, & alii cum communiori Theologorum. Et ratio est, quia æquissimum est, ut ad eundem spectet commodum fructus, & accessio rei, ad quem ejusdem rei damnus, & periculum spectat; textu expresso, in §. 3. Institut. de emptio. & venditio. ibi: Si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet; nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est, & leg. Id quod 7. ff. de peric. & commod. rei venditæ, ibi: Si totus ager post emptionem flumine occupatus esset, periculum esset emptoris, sic igitur, & commodum ejus esse debet; & clarissime in leg. Secundum naturam est, commoda cujusque rei cum sequi, quem sequitur incommoda. (Leg. 23. in fin. tit. 5. p. 5.) Atqui periculum totum, & damnus rei in specie venditæ, etiam ante traditionem, & pretium solutum ad emptorem pertinet, adeo ut si absque venditoris culpa pereat, vel deterior fiat, nihilominus integrum pretium emptor solve re cogatur: textu expresso in §. 3. Institut. de emptio. & venditio. ibi: Cum emptio venditio contracta sit, quod effici diximus simul atque de pretio convenit, periculum rei venditæ, statim ad emptorem pertinet. Itaque si edat tote, vel aliqua ex parte incendio consumta fuerint... Emptoris damnus est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere. Quidquid enim sine dolo, & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est. Ergo commoda quoque, & fructus rei venditæ etiam ante traditionem, & pretii solutionem ad eundem emptorem pertinere debent. (Vide verb. Accessio, verb. Dominium, & proxime.)

Contraria tamen sententia, quod scilicet ad venditorem, & non ad emptorem pertineant fructus provenientes ex re vendita post celebrationem, & absolutum contractum, casu, quo res nondum sit tradita, vel si tradita, pretium tamen nondum sit solutum nec cautio præstita, nec fides de pretio habita, nec dilatio ad solvendum expresse concessa sit, defenditur communiter à Legistis, & etiam à varijs Theologis, inter quos Navarr. Covarr. Angelus, Binsfeldius, & alii cum Molina tom. 2. disp. 368. Et ratio non spernenda ipsorum est, quia inter contrahentes debet esse æqualitas, neque unus eorum tenetur implere contractum; nisi & alter vicissim impleat, juxta leg. Bona fides 50. ff. de action. emptio. atqui in nostro casu emptor contractum nondum implevit solutione pretii, transferendo in venditorem dominium, usumfructum, & commodum pecuniæ, ergo neque venditor tenetur transferre in emptorem dominium, usumfructum, & commodum rei venditæ, sed eousque sibi retinere potest, donec emptor sibi pretium solvat; venditor enim manet dominus rei venditæ, donec tradatur, & simul pretium solvatur, vel cautio præstetur; vel saltem fides ejusdem habeatur, §. 41. Institut. de rer. div. ibi: Venditæ vero res, & traditæ, non aliter emptori acquiruntur, quam si venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, vel ex promisso re, aut pignore dato... sed si is, qui vendidit, fidem emptoris secutus fuerit, dicendum esse etiam rem emptoris fieri. Et pro hac sententia adducunt plures leges; ut leg. Curabit 5. Cod. de actionibus empt. leg. Julianus 13. §. 8. ff. de act. empt. leg. Qui pendente 25. ff. cod. quas omnes tamen clare solvit Reiffensuel loc. cit. à numer. 236. alijs pluribus jam pro nostra sententia adductis à num. 232. (Concordat lex sup. cit. 46. cum leg. 28. 58. & consonat lex 61. & 62. tit. 5. p. 5.)

Notatur autem in conclusione nostra posita sub numero 3. fuit dictum, Nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit, quia si circa perceptionem fructuum conventum inter emptorem, & venditorem, erit omnino observanda: arg. leg. Si in venditione 10. ff. de peric. & commod. rei venditæ, leg. Qui fundum 40. §. 18. ff. de contrah. empt. leg. Julianus 13. §. 18. de actionibus empt. & §. Cum au-

autem, *Instit. de emptio. & venditio.* & ratio est clara, quia ex Reg. 85. *Juris in 6. Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur.* Hinc licitus est contractus, cum fundus fructuosus, ut pradium, domus, hortus, aut aliud hujusmodi emtor eo pacto, ut post tot annos dumtaxat emptor pretium, de quo conventum est, solvere teneatur venditori, & interim venditor usuras summæ capitalis percipiat, donec ipsa soluta sit: *leg. Julianus 13. §. Ex vendito ff. De actio. empti. & venditi, ibi: Ex vendito actio venditori competit ad ea consequenda, que ab emptore præstari oportet: veniunt autem in hoc iudicio infra scripta; in primis pretium quanti res venit, item usuræ pretii post diem traditionis, nam cum re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere, leg. 11. Cod. de usuris, ibi: Quod hujusmodi usuræ, & non quasi usuræ, sed quasi interesse putantur. Et sic communis Doctorum eum Glossa in cap. Conqueste, Extravagant. de usuris, ibi: Usuræ possunt etiam dari, secundum canones, ut cum vendendo sibi pradium, & trado, & percipis fructus, nec solvitis mihi pretium ad terminum. (Leg. 38. & 39. tit. 4. p. 5.)*

7. Sic etiam licitus est contractus, quando venditor per specialem conventionem tantum sibi reservat de fructibus rei venditæ, quantum ex dilacione solutionis prudenter sibi timeri imminere damni emergentis vel lucri cessantis; utpote quia venditor pecunias illas negotiacioni exposuisset, aut iis quoquomodo lucratus fuisset, si solutio statim facta fuisset; *Communis, & certa, teste Cardinali de Lugo tom. 2. disp. 25. num. 140.* Postquam autem venditor jam transtulit dominium in emptorem, nullamque apparet periculum lucri cessantis, vel damni emergentis, non potest ob solam dilatom solutionem pretii, sibi reservare fructus rei venditæ; ob solam enim talem dilacionem solutionis sibi fructus reservare, vel aliquid recipere est usurarium, textu expresso in cap. Consultat 10. de usuris, & Concil. Mediolanen. 1. part. 2. tit. 68. & Concil. Burdigalens. tit. de usuris. Item licitus est contractus, quando venditor ita convenit cum emptore, ut dominium, & periculum rei venditæ ad ipsummet pertineat ante pretii solutionem, & perinde ad se pertineant fructus interim ex ipsa provenientes. Hoc enim casu venditio censetur celebrata non absolute, sed sub conditione, ut non antea rata sit, quam pretium constitutum solvatur; nam tunc quia ad venditorem spectat periculum talis rei, ad ipsum quoque spectare debet commodum, & jus fructus ex ea provenientes recipiendi, donec pretium sit solutum, nam *Commodum ejus esse debet, cuius periculum est, §. 3. Institut. de emptio. & venditio. (Leg. 23. 24. 25. 26. 27. 38. & 39. tit. 5. p. 5; cum leg. 17. tit. 10. lib. 3. For. Reg.)*

10. Periculum rei venditæ post traditionem pertinet statim ad emptorem; *leg. Lector 12. leg. Quod si neque 14. ff. de periculo, & commodo rei venditæ. Communis ac certa.* Immo periculum rei venditæ pertinet ad emptorem etiam ante traditionem, si vendatur res certa, & determinata in individuo, ut hæc domus, hic equus; tunc enim non obstante interitu, vel deterioracione rei, debet emptor solvere totum pretium, si nondum solvit; & si jam solvit, nihil postea repetere, §. Cum autem 3. *Instit. de emptio. & venditio. ibi: Cum emptio, & venditio contracta sit, si quod effecti diximus simul atque de pretio convenierit, periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet. Ita ut si res desit, vel aliqua ex parte incendio consumpserit fuerint. Emptoris damnus est, cui necesse est, licet nec non fuerit factus, pretium solvere. Quidquid veniit sine dolo, & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est.* Sic communis Doctorum. Limitatur tamen hæc conclusio in pluribus casibus. Primo quando emptor, & venditor specialiter inter se conveniunt, ut periculum remaneat penes venditorem, donec res emptæ tradita sit emptori; *arg. leg. Qui fundum 40. §. 18. ff. De contrah. empt. leg. Julianus 13. §. 18. de actio. empt. leg. Si in venditioe 10. ff. de periculo, & commodo rei venditæ, & §. Cum autem 3. *Instit. de emptio. & venditio.* Et in hoc nullum est dubium, quia ut expresse habetur in Reg. 85. *Juris in 6. Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur.* (Vid. proxime.)*

13. Limitatur secundo, quando venditor est in mora tra-

dendi, & res interea casu fortuito perit, vel deterior fit, tunc enim periculum est solius venditoris, *leg. Illud 7. leg. Quod si 14. de perico. & commodo rei venditæ, ibi: Si venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere, æquum est, moram venditori nocere?* *leg. Quod te 5. ff. de rebus creditis, ibi: Quod te restitui dare oportet, si id postea perierit, quam per te factum erit, quo minus id mihi daret, in omni fore id detrimentum constare.* & concordat *leg. Si quis 4. §. fin. leg. Illud 17. ff. de perico. & commodo rei venditæ; leg. Si fundus 33. ff. Locati conducti.* Et ratio est, quia *ex Reg. 25. Juris in 6. Mora sua cuiuslibet est nociva.* Si autem non solum venditor in tradendo, sed etiam in rem sibi oblata recipiendo, fuit in mora; tunc periculum spectat ad illum, qui est in posteriori mora, sive tradendi, sive recipiendi, textu expresso in *leg. Illud 17. ff. de perico. & commodo rei venditæ, ibi: Si interpellavero venditorem, & non dederit id, quod emeram, deinde postero offente illo, ego non acciperim; sane hoc casu nocere nihil deberet; sed si per emptorem mora fuisset; deinde cum omnia in integro essent, venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere, æquum est posteriori moram venditori nocere.* Si vero res æque perisset, vel deterior facta fuisset apud emptorem, si ei tradita fuisset, ad nihil teneatur venditor ob talem moram; *arg. leg. Si plures 14. §. Si autem ff. de positi vel contra; ubi statuitur, quod depositarius ratione moræ ad nihil teneatur, si res deposita etiam perisset apud dominum, casu, quo eidem restituta fuisset, & concordat *leg. Item 15. §. fin. ff. De rei vind. ibi: Si servus peritus, vel aliud animal demortuum sit sine dolo malo, & culpa possessoris, pretium non esse præstandum, nisi perierit, sed est verius, si forte distracturus erat peritor, si accepisset, moram passo deberet præstari; Nam si ei restituisset, distractisset, & pretium esset lucratus; ubi vides, quod ratio propter quam periculum est imputandum venditori, est, quia si rem restituisset, seu tradidisset emptori, ipse emptor eam forsam distractisset, & sic omne damnum evasisset, unde à sensu contrario si rem non distractisset, sed æque apud ipsum, ac apud venditorem perisset, ad nihil teneatur venditor ratione moræ, quia per ipsam in tali casu nullum damnum causavit emptori; *Sic Glor. in §. Cum autem 3. Institut. de emptio. & venditio. Lugo tom. 2. disp. 26. num. 217. Molina disp. 366. num. 13. & alii communiter. (Vid. leges supra proxime citatas, & 27. tit. 5. p. 5. Vid. pag. 61. lit. D. vers. Ut precedentibus ut alicuique perlege ejusd. lit. pag. anteced. ex 59. ad 64.)***

16. Limitatur tertio, quando res vendita ante traditionem perit ex dolo, aut culpa lata, vel levi venditoris; *leg. Custodiam 3. ff. de periculo, & commodo rei venditæ, ibi: Custodiam autem venditor præstare debet, quam præstant hi quibus res commodata est, ut diligentiam præstet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet; & concordat *leg. Si vendit 11. ff. de perico. & commodo rei venditæ, ibi: Si venditor eam diligentiam adhibuerit, in insula custodienda, quam debent homines frugi, & diligentes præstare, si quid accidisset, nihil ad rem pertinebit.* Unde si eam diligentiam in custodienda rei venditæ, donec tradatur, non adhibuit, ut debuit, ipsi venditori periculum est imputandum; *Communis.* Limitatur quarto, quando res vendita ante traditionem ex delicto venditoris addicitur Fiscò. Tunc enim periculum est imputandum venditori, & si jam receperit pretium, teneatur iterum restituere emptori; textu expresso in *leg. Si fundus 33. ff. Locati, ibi: Si vendiderit mihi fundum, misque prius quam vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex empto ut pretium restituas.* *Communis.* Limitatur quinto, quando venditio est facta conditionate, & ante impletam conditionem res totaliter perit; v. g. cum emitor equus sub conditione faciendi experimentum de ejus qualitatibus per decem dies, per quos solum si placuerit emptori, censeatur emptus; tunc si antequam elabatur dicti decem dies experimenti, equus sine culpa emptoris, vel pereat, vel à grassatoribus auferatur, periculum imputatur venditori; *leg. Necessario 8. ff. De perico. & commodo rei venditæ, ibi: Si sub conditione res venerit, siquidem defecerit conditio, nulla est emptio.* *leg.**

leg. Apud 20. §. 1. ff. De præscriptis verbis, ibi: Si mihi res tibi dederit, ut experiaris, & si placuissent, emeris, nisi displicuissent, ut in dies singulos aliquod præstares, deinde moram à grassatoribus fuerint ablatae intra dies experimenti, quid esset præstandum? Ultra pretium, nam merces, an merces tantum? Et ait Melan, interesse, utrum emptio jam erat contracta, an futura? ut si facta, pretium petatur: si futura, merces petatur. *leg. Is, qui 13. §. 1. ff. Commodari, vel contra, ibi: Si quem quæstum fecit is, qui experiendum quid accepit; veluti si iumenta fuerint, eaque locata sint, id ipsum præstabit rei, qui experiendum dedit, neque enim ante eam rem quæstum cuicumque esse oportet, priusquam periculo ejus sit.* Si vero res sub conditione vendita totaliter non percat, sed tantum deterior evadat, totum periculum conditione impleta ad emptorem spectabit, ita ut propter deterioracionem neque pretium minueret possit, textu expresso in *leg. Necessario 8. ff. de perico. & commodo rei venditæ, ibi: Si extat res (vendita sub conditione) licet deterior efflata potest dici esse damnus emptoris. Et ratio est, quia adimpleta conditione, contractus retrotrahitur ad tempus conventionis, & redditur venditio absoluta, & perfecta; *leg. Hæc venditio 7. ff. De Contrahendo emptio. & venditio. ibi: Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.* Unde cum se perfecta, & completa venditio evadat emptor Dominus equi, ipsi debet imputari ejus deterioratio; *Rebell. part. 2. de oblig. just. lib. 9. quest. 15. num. 4. Henold. tract. 10. contro. 9. num. 48. Palao de justitia commutat. punct. 24. num. 4. Molina loc. cit. num. 8. Reiffenstuel loc. cit. num. 220. & alii passim. (Vid. immediate notat. cum leg. 26. tit. 5. p. 5.)**

20. Quando res in pondere, numero, aut mensura consistens venditur ad mensuram, tunc antequam res ipsa tradatur mensurata, ponderata, aut numerata, omne periculum pertinet ad venditorem, textu expresso in *leg. Quod sæpe 35. §. 5. ff. de contrahendo empti, ibi: Si omne vinum, vel frumentum, vel argentum quantumcumque esset, uno pretio venierit, idem juris est, quod in ceteris rebus. Quod si vinum ita venierit, ut in singulas amphoras, item oleum, ut singulas metretas, item frumentum, ut in singulos modios, item argentum, ut in singulas libras certum pretium dicefetur, quæritur quomodo videatur emptio perfici? Quod similiter quæritur, & de his, quæ numero constant, si pro numero corporum pretium fuerit statutum. Sabinus, & Cassius utpote perfici emptioem existimant, cum adnumerata, ad mensuram, ad mensuram sint; quia venditio sub hac conditione videtur fieri, ut in singulas metretas, aut in singulas libras, quas adpenderis, aut in singula corpora, quæ adnumeraveris.* Sic communis Doctorum.

21. Sic etiam si vinum, mel, vel quid simile vendatur ad corpus quidem, non ad mensuram, attamen cum pacto ut degustetur antequam omnino rata, vel perfecta venditio sit: tunc ante degustationem factam periculum spectat ad venditorem; *leg. 1. in princ. & leg. Si quis vina 4. §. 1. de perico. & commodo rei venditæ; Communis.*

22. Si tamen certus terminus mensurationi, ponderationi, numerationi, vel degustationi præfixus fuit, aut venditor coram testibus emptorem moneat, ut intra certum tempus ad mensurandam, ponderandam, numerandam, vel degustandam rem emptam accedat, post culpabilem ejus moram, periculum ad emptorem ipsum pertinebit; *l. Si quis vina 4. ff. de perico. & commodo rei vend. Communis.*

23. Quando res aliqua vendita est ad corpus totum, v. g. venditur totum dolium vini, totum cumulus frumenti, & hujusmodi, dicendo, vendi tibi totum hunc cumulum tritici, totum hoc dolium vini sine ordine ad mensurandum; quidquid dein contineat, tunc periculum spectat ad emptorem textu expresso in *leg. Cum convenit 2.*

Col. de periculo, & commodo rei venditæ, ibi: Cum unum versum, quod in horreis erat positum, venisse sine mensura, & claves emptoribus traditas alleges, post perfectam venditionem, quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet. Hæc omnia locum habent non solum si vinum, sed etiam si oleum, vel frumentum, vel his similia venerint, & ea, aut deteriora, aut penitus corrupta fuerint. *Communis.* Si autem vendatur totum corpus quidem, sed ad mensuram, dicendo v. g. vendo tibi totum hoc dolium vini, totum hunc cumulum tritici, & pro quavis urna, vel mensura dabis unum argenteum, tunc cum venditio sit ad mensuram, donec vinum, & triticum non sit mensuratum, periculum pertinet ad venditorem *cit. leg. Quod sæpe 34. §. 5. de contrah. empti. Communis.* Item erit venditio ad mensuram, si ex toto grege vendantur 10. oves, & ex toto cumulo tritici 10. modii, ex toto dolio vini 16. urnæ, & sic donec oves fuerint designatæ, modii tritici, & urnæ vini mensuratæ, periculum spectat ad venditorem; *cit. leg. Quod sæpe 35. §. 5. de contrah. emptio. Communis. (Leg. 24. & 25. tit. 5. p. 5.)*

Retractus gentilitius est jus, quod habet proximior consanguineus venditoris rescindendi, & ad se revocandi, seu retrahendi intra certum tempus venditionem rei immobilis, oblato eodem pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo empti fuerat; *Est in re communis.* Hujus Juris fit mentio *Leviticus 25. & in leg. Dudum Cod. 14. de contrah. empti. & cap. Const. 8. de integrum restit. Et ratio hujus introducti Juris est, ut possessiones paternæ, & avitæ facilius conserventur in proxima posteritate, & difficilius transeant ad extraneos, quod nimis lugubre esse ducitur in *leg. Lex que tutores, & Et tolerabilius, Cod. de administrat. tutor. Sola bona immobilia retrahi possunt; Sic communis Doctorum, arg. leg. 60. ff. de contrah. empti, leg. Si in 35. de minor. Inter immobilia computantur etiam annui redditus, ususfructus, decimæ, aliaque Jura, ac res incorporales super re immobili constitutæ; *arg. Clement. Exivi de Paradyso, §. Cumque annui de Verb. fig. (Vid. lit. A. pag. 85. numer. 9.)* Retrahere possunt omnes venditoris consanguinei, non tantum laici, sed etiam Clerici; *Sic communis Doctorum, arg. cap. Constitutus 8. de integrum restit. Religiosus autem consanguineus, vel ejus loco monasterium retrahere nequit, quia per hujus retractum eludered ratio finalis retractus gentilitii, quod nempe possessiones paternæ, & avitæ conserventur in proxima posteritate, & non transeant ad extraneos; Engal lib. 3. Decret. tit. 17. n. 25. Tiraquell. de retract. part. 1. §. 1. glo. 8. num. 19. & 20. & alii communiter.* Jus retrahendi ante omnes competit liberis, sive masculis, sive feminis; *arg. leg. 1. ff. de verb. signific. leg. fin. Cod. Quorum bonorum, leg. Voluntas 4. leg. Cum acutissimi 30. ff. de Fidei. Dummodo tamen liberi sint legitimi, quia ab hoc Jure excluduntur filii, & filia naturales, & spurii; *arg. leg. Spurius 4. ff. unde cognati, leg. Humanitas 8. Cod. de natur. liber. Liberi non extantibus competit hoc jus consanguineis collateralibus cum prælatione semper ad proximiores venditoris, arg. leg. Peto 2. ff. de legatis. Si plures sint consanguinei ejusdem gradus, possunt omnes simul retrahere, & rem retractam possidere in communi, vel si dividi potest, dividere, aut sorti committere, arg. §. Optionis 25. *Instit. de legatis. (Vid. lit. E. pag. 178. num. 1.)* Cum fratre superstitite nequeunt simul retrahere liberi fratris vel sororis defunctæ, quia frater superstes est proximior venditoris; *arg. leg. Tutela 3. §. 5. de leg. tutor. Si consanguineus proximior retrahere non lit, competit tunc jus consanguineo remotiori ordine gradus semper servato; & si unus ex æqualiter propinquis cedat Juri suo, admittendi sunt ad retrahendum reliqui in solidum; *Communis.******

Legitime retrahere volens debet quatuor potissimum con-

Consanguinei & propinqui, quibus jus retrahendi conceditur, intelligi debent, si intra quartum consanguinitatis gradum, cum rem paternam, seu avitam vendente sint præcisè constituti. (1) Inter duos equidem, ordo gradus servandus erit. (1) L. 2. tit. 11. lib. 5. Quando el pariente mas propinquo no quisiere, ò no pudiere sacar la cosa vendida por el